

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis tertiâ Aprilis.



M. CAROLO LE LONG, Doctore Medico Præside.

An cortex Peruvianus noxarum lactis vindex?

I.

PRINCIPIORUM sanguineæ molis constans harmonia firmam constituit corporis valetudinem, dum inter hæc regnat ordo, sanitas manet incolumis, nulla functionum læsio, ubi à genuina indole deflectunt morbosos affectus, & anomalas inducunt fermentationes, in febribus continuis & intermittentibus maximè conspicuas, illæ mobilitate vigent, hæ vires acquirunt eundo, in utrisque pulsus frequens & velox, nec ideo semper sanguinis circuitus velocior; Æqualem principiorum normam statuit legitimus rerum non naturalium usus, harum prudens administer medicus inclinatam valetudinem, mentis hilaritate, blandâ quiete fulcit, & in fugam versis immoderatis animi pathematis, dulces apparat dapes quibus balsamum & oleum vitæ, fovet & vegetat, quod negotium agit, potissimùm, tempestivâ lactis administratione.

I I.

FUNCTIONES à ſpiritibus, horum fons & origo purpureus latex, hæ varie depravantur juxta varias quas ſubit ſanguis alterationes, mille modis alteratur vitalis liquor, frequentiſſima ejus alteratio ab acidis, dum inſtar vini aceſcit, vinum fugatâ volatili & ſpirituosâ parte, tartari liquatione, in acidum deſinit ſaporem, ſic ſanguinis ſpiritibus diſſipatis, pars ſalina, fluorem adepta totam maſſam acore inficit, hoc vitium emendabit lac, quia dotatum partibus balſamicis, dulcibus & unctuoſis, ſanguini valet dulcem elaborare ſaporem; Cum autem plures ſint gradus aciditatis ſedulo invigilandum ne ſolicitudine aſſiduâ, victus incuriâ, aut alio quovis errore in rerum non naturalium uſu, acida plus æquo exaltata alimento dulci, naturæ amico, inemendabilem inurant labem.

I I I.

SINCERUM niſi vas, quodcunque infundis aceſcit; Caveat ergo medicus ne ſodalibus iniquis lac conſociet, nec ſuccenſeas ſi amarum miſceat dulci, amarum enim vindicat ab acido dulce; Lac eſt primæ coctionis rudimentum multo ſero & limphâ dilutum, ope microſcopii videbis moleculas aut globulos raros nantes in liquido vaſto, quemadmodum videre eſt in ſolutione reſinæ à ſpiritu vini aquæ permixtâ; Lactis variæ ſunt ſpecies & differentiæ pro variâ animalium unde mulgentur indole; bonum eſt lac muliebre, maternum alieno præſtantius; diverſæ ſunt iterum lactis dotes pro diversâ paſcuorum & tempeſtatum condi-

tione; Ex tali alimento, tale lac, capellæ elaterium depaſtæ lac fundunt purgans; Dum ſævit hiems & nullus viret in foliis humor lac eſt effœtum, nec di-ditu facile; quando diffugere nives & rediere gramina campis, capellæ florentem cythiſum, & ſalices carpunt amaras, ubera referunt diſtenta lacte pingui, fragranti & balſamico, quibus dotibus ſanguis depauperatus reficitur, partes languidæ refocillantur, ni infenſiſſimus acidus humor concretiones faciat, laxatâ lactis compage, ſed huic fræna dabit potentiſſima cortex peruvianus.

I V.

COMPESCENDÆ fermentationi cortice peruviano nullum aptius remedium, naſcitur in americâ ex arbore quam gentianam indicam vocant, ille variis paratur modis, & plurimis utiliter ſociatur mixtis; vulgatiſſima præparatio fit infuſione in vino generoſo, quidam muſtum uſurpant cujus fermentatione leni, (hanc enim minuit,) paratur præſtantiſſimum febrifugum; multi pulverem cum vino turbatum bibunt, aut in bolo vorant, alii conficiunt potiones ex cortice cum ſaſſafrâ, ſcorſonerâ, papavere &c. chymici eliciunt ex eo tincturas cum ſpiritu vini, extractum faciunt, pharmacopolæ eumdem coquunt in ſyrupum, cum ſaccharo tabellas formant, optimum & commodum viatoribus remedium, innumeras alias poteſt medicus ſibi fingere, corticis præparationes; Sed eâ lege ut ejus partes amaræ & balſamicæ ſerventur incolumes, ſunt enim illæ coagulationis vindices, & vitalis fluoris ſummum præſidium.

V.

CORTICIS peruviani vires tot experimentis confirmatæ ſunt, ut ejus fama maneat inconcuſſa, nec tempus edax hanc poſſit diruere, omnibus notum chinam chinam, febrium fermenta & humores coagulatos ſolvere; ſi in infantis ventriculo lac depravetur, aut aceſcat, præbe nutrici potiones ex cortice paratas, lactis noxas emendabis, ſi lactens febre continuâ aut intermittente corripitur, lactans bibat vinum ex cortice paratum; ſi viciſſim lactans febricitet utatur eodem & innoxie lactabit, quin & conſtat corticem eſſe coloſtratis ſaluberrimum, expertis ratum eſt ſæpe lac eſſe nocivum cachecticis & tabidis, in his vigent acida fermenta lacti infenſiſſima, ſed hæc vitia caſtigabit cortex peruvianus cum ſaſſafrâ in hydromelite coctus; vis tollere aut præcavere nodoſam ex lacte podagram, auxiliares opes pete à cortice noſtro chamædri ſociato chamæpyti & centaurio; Hæc alkalia amara, dubio procul, lac, ſincerum & intemeratum ſervant, ſunt enim acidi maligni antidota tutiſſima.

Ergo cortex Peruvianus noxarum lactis vindex.

Proponebat Pariſiis JACOBUS MINOT, Sancerrienſis ex Avarico, Sereniſſimi Principis Ducis Borbonii Medic. ordin. Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typogrphum.